

non reputant ad peccatum. Et sunt maiores depredatores qui sint in mundo. viuunt de uenationibus & aucupationibus. de eorum bestijs & laboribus tere. sunt etiam in illa contrata quam plures bestie que generant muscatum & in tanta quantitate quod per totam contratam percipitur ille odor. quia omni luna semel bestie ille de muscato effundunt. nam sicut alias est dictum. iuxta umbilicum istius bestie unum apostema in modum cuiusdam tuberis plenum sang[u]ine concreatur. & sanguis ille est muscatum set apostema illud nimia repletione omni luna de sanguine illo sperargit & sic quia multa huiusmodi animalia partibus illis sunt ideo in multis locis sperargunt quare redollet ex eo prouincia tota & iste tales bestie uocantur in eorum lingua gudderi. & homines illi quam plures habent bonos canes ad ipsas capiendas ydoneos. ipsi uero non habent monetam neque de cartis magni can set de sale faciunt monetas. vestes eorum sunt pelles bestiarum. canapum & bucheranum loquelam per se habent & nuncupatur thebet //—

26r° **T**hebet est prouincia maxima que loquelam per se habet | gentes ipsius adorant *adorant ydola*
ydola confinat quidem cum mançi & cum multis alijs prouincijs in ea sunt multi latrones Et est tam magna prouincia quod in ea sunt octo regna & multe ciuitates & castra. & sunt in pluribus locis flumina. lacus & montes in quibus inuenitur aurum in maxima quantitate. oritur ibi canula multa. In prouincia illa est ambrum & coralum ualde preciosum & carum nam mulieres ponunt coralum sibi ad colum cum magno gaudio. & coram ydolis fiunt ex ipso pulcre çoie in ista prouincia fiunt multi çambeloti & alij drappi aurei & de syrico & fustanei multe species nascuntur ibi que nunquam fuerunt in partibus nostris uise. sunt in prouincia illa perfectiores homines in arte magica secundum eorum consuetudines qui in omnibus illis circumstantibus prouincijs ualeant reperiri. Nam maiora faciunt faciunt ueneficia & magis fera per artem diabolicam quam unquam uisa uel audita fuisent quod non est in libro dicendum. Nam non posset fides adhyberi. inducunt enim tempestates & fulgura quandocumque volunt. & quandocumque cessare conppelunt & mira faciunt infinita homines sunt male morigerati habent insuper magnos canos molosos qui sunt magnitudinis asinorum optimi ad feras quaslibet capiendum & abiles sunt ad capiendos boues siluestres boues sunt maximi & feroces & multi sunt ibi ibi nascuntur optimi falcones laneri & sacri prouincia thebet est subdita dominio magni can. //— |

26v° **G**hindu est quedam prouincia uersus ponentem que iam regebatur a rege. set posquam fuit subiugatta dominio magni can. ipse illuc suos mitit *adorant ydola*
rectores gentes huius prouincie adorant ydola in ea sunt multe ciuitates & castra. est ibi quidam lacus magnus in quo inuenitur multitudo perularum que perule bene sunt albe set non rotunde. ymo sunt quasi nodosse quia uidentur iiij. v. vj & plures simul teneri in unum. set magnus can nullo modo consentit